





OFFICIVM SOLEMNE
DIEI NATALIS
CELISSIMO AC SERENISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO 23
DOMINO
IOANNI ADOLPHO
DVCI SAXONIAE
IVLIAE CLIVIAE MONTIVM
ANGARIAE WESTPHALIAE
THVRINGIAE LANDGRAVIO MISNIAE
ATQVE VTRIVSQUE LVSATIAE MARCHIONI
COMITATVS HENNEBERGICI COMITI PRINCIPI
MARCAE RAVENSBERGIAE ET BARBIAE
COMITI RAVENSTEINII DYNASTAE
ETC. ETC. ETC.
PRINCIPI DOMINO
ET
GYMNASII ILLVSTRIS NVTRITORI
LONGE CLEMENTISSIMO
DEVOTISSIMO ANIMO GRATVLANDI
IN GYMNASIO ILLVSTRI
A. D. ^{II}XV. SEPTIMBR. MENSIS AER. VVLG. CID IOCC XXXXIIII
CONCELEBRANDVM
INDICIT
ET DE
VETERVM RECENTIORVMQVE HISTORICORVM
NIMIO RERVM MIRABILIVM AMORE
EXPONIT
IOANNES GEORGIVS WALTHER

Ioan. Geor. Walther



OPHYM SOLIMNE
DIE NATALES
CLISSIMO AG SERENISSIMO
PRINCIPALI AG DOMINO
DOMINO
IOHANNI ADOLPHO
DUCI SAXONIAE
ILLIUSQUE
ANGUSTISSIMO
THIRINGIAE LANTHANO
ATQUE
CONSTITUTIS
MAGNIFICENTISSIMO
COMITI RAVENNA
FRANCIS DOMINO
GEMINIS
REVERENDISSIMO
IN
A
CONCESSIONE
INDICIT
ET DE
VERVM REFORMATIONE
SANO REVM
IOHANNIS GEORGII WALTER





ui mihi auspiciatissimi huius diei celebritatem,
 prolusione indicandam, atque oratione profes-
 quendam, dederunt, mihi videntur duplicem
 imposuisse personam, nimirum boni et ciuis et
 litteratoris, quam vtramque statim verebar, vt
 ex rei et diei dignitate sustinere possem. Ne-
 que accessissem ad eam gerendam, nisi et mu-
 neris mei ratio id postulasset, et pietatis officia, scissem, ex animo
 tantum spectari. Iam tum, cum duos fere abhinc menses, dirigente
 ita numine, Weissenfelsae, prae multis aliis felici vrbe, rerum mearum
 sedem collocarem, incredibili efferebar gaudio cum aliis de rebus,
 tum quod ciuium sub SANCTISSIMO ADOLPHO, germa-
 no PATRE PATRIAE, mihi licebat felicitatem coram intueri,
 quam e longinquo iamdudum venerabundus eram contemplatus.
 Non illa tantum immortalis AVGVSTI sanctitatis humanitatisque
 plena monumenta animum alliciebant, sed totum occupabant, atque
 admiratione auferebant, recentia incomparabilis PATRIS PA-
 TRIAE, ADOLPHI nostri, documenta virtutum maximarum.
 Maiestate mista incredibilis humanitas, dominans illa ipsis animis et
 imperans, quam in graecis romanisque imperatoribus vetustas vidit,
 recentior est admirata aetas, tota in illo habitare videtur, vt, cum
 potestatem eius adeundi, et cum illo coram agendi habeas, putes,
 te quendam ex annalium memoria principem, aut de coelo de-
 lapsum, ad tempusque in terris commorantem, intueri. Huius rei
 teste me, cum omnes in vniuersum et singuli ciues sint locupletissi-
 mi, etsi possim, vt in praesentia nolo. Volui tamen ab hoc tem-
 pore felicitatis partae memoriam ad omnes deferre. Non suffi-
 ciebant mihi litterae, ad fautores amicosque datae. Non sufficie-
 bat quotidianus sermo, de laudibus tanti principis habitus. Maio-
 rem quaerebam occasionem, quam nunc vltro mihi oblatam, mirifi-
 ce laetor. Ita enim natura sumus comparati, vt fortunae alicuius
 insignis participes facti, alios hac de re optemus certiores fieri. Hoc
 abditum naturae studium vel infantum declaratur exemplo. Gra-
 tam enim hi rem consecuti, aliquem, cui acceptum possint sibi ne-
 gotium narrare, anquirunt: voti compotes facti, videntur sibi one-
 re magno leuati. Neque pudet me huius comparationis. Omnes
 nos, subiecti tanto principi, parentis loco eum habemus: atque ille
 nos rursus liberorum. Quid igitur impedit, quo minus et ego,
 praeuentibus reliquis ciuibus, personam tueri filii, prae patris hu-
 manitate gaudio elati, velim. Gestit igitur animus, in ipso omnium
 nobis

IV

nobis maxime festo die dicere. At forsan non sum ciuium expectationi satisfactorus. Malim profecto, si eius rei periculum ad eundum sit, ingenio, quam animo, deesse meo. Verum res in tuto videtur collocata. Prudentiores in cultu, quemadmodum DEO, sic principibus debito, praestando solent magnitudinem non ingenii postulare, sed, ex quo ille proficiscitur, animi.

Exculli his diebus, quantum memoria potui vetera reperere, antiqua virtutum documenta, forteque incidi in M. T. Ciceronis ad Quintum fratrem, Asiae tunc temporis gubernatorem, missam epistolam, reginam reliquarum, quae cum de omnium sententia praeclaram quandam imperii, recte administrandi, normam ac regulam praescribat: admirabundus et venerabundus omnes eas virtutes, quas Cicero a fratre coli optat, in CELSISSIMO ADOLPHO nostro, tamquam in aliquo nitide expressas speculo, inueni. Idcirco in oratione, publice habenda, proponam, ad M. T. Ciceronis mentem,

Imaginem boni principis sub exemplo

I O A N N I S A D O L P H I.

Ad hanc igitur orationem, vnice in principis versaturam virtutibus, audiendam, vt omnium ordinum Illustrissimi, Generosissimi, Illustres, Summe Reuerendi, Praenobilissimi, Nobilissimique Patroni et Fautores conueniant, etsi, propter dicentem me, opus sit flagitare, tamen, propter incredibile omnium in principem studium, necesse vix putem. Rogandi sunt potius omnes humanissime, vt mihi, adeo pietatis munere fungenti, et fauore et humanitate in audiendo adesse velint.

Atque haec praefatus, pauca de argumenti dicam occasione. Admirabiles tanti principis virtutes, fateor, primum mihi acerrimum gratissimumque admirationis iustae mouisse sensum. Fere veteres, incipiebam, recentioresque historicos excusare, quos rerum, sciebam, mirabilium nimis cupidos fuisse. Sed cum deinceps coepissem alia ex aliis, ad interiores amoris huius causas explorandas, cogitare, atque in commentarios referre meos, haec, quam supposito, mihi breuis commentatio nata est, qua perlecta, iudicaturum quemque scio, nostrum esse alium, sapientemque amorem, istum saepe inspidum, semper culpae dandum. Proinde ad hunc recte cognoscendum parumper animus est ab illo auertendus.

§. I. *§. I. Sequens conuenit item tunc*
Grauiora historicorum vitia, vt adulatio, vt auaricia, vt odium, vt metus, vt partium studium, cum facile ab unoquoque cognoscantur, atque ab aliis sint abunde explicata 1), pluribus haud censeo, praesertim in publicis litterarum monumentis, disputanda. Ad abditos potius eorum errores, in quos inscii et imprudentes ipsi incurrunt, quod plurimum effugiunt attentissimam cogitationem, et tamen multum noxae rei historicae inferunt, sedulo aduertendus est animus. Sunt autem tria potissimum delicta, quae, etiamsi leuiora dicas, tamen omnis aevi historiarum diiudicationem reddunt perdifficilem et vehementer impeditam: *Scriptorum inuidentia, de omnibus iudicandi libido, et nimius rerum mirabilium amor.* Duorum priorum, cum in aliud sit tempus disputatio differenda, vnum modo atque alterum afferam exemplum.

§. II. Primum igitur, sed paucissimis, est *inuidentiae* ratio habenda. Extincto iam Alexandro M. tum, cum inualesceret Romanorum potentia, ipsamque Macedoniam et Syriam subegisset, Graeci, laudis alienae perquam inimici, vt haberent, quod Romanae opponerent maiestati, res maiorum suorum mirum in modum augebant, atque eas cum Romanorum rebus comparabant ita, vt Graeci possent soli existimari, Romanorum gloriam, gestis partam rebus, orbisque terrarum iudicio ac testimonio comprobata, vel aequasse vel superasse. Plutarchus 2), Dio Cassius 3), alii, quam callide vtuntur Graecorum Romanorumque collatione. Hosce diligenter versans crederes, Romanos, rebus domi militiaeque gestis, esse interdum modo Graecis pares, superiores nunquam, plurimum inferiores. Rollinus, hac re non animaduersa, saepe lapsus est, ceteroquin elegantissimus historiae vniuersalis compiler. Post Christum natum dici non potest, quam varia nonnullorum Christianorum profanorumque hominum et diuersa, inuidiaeque plena studia historiam corruperint, eamque reddiderint incertam. 4) Nostro demum aeuo videtur magna

A 3

huius

1) Conf. Frid. Guilielmi Bierlingii Comm. de Pyrrhonismo historico p. 277. sqq.

2) Plutarchus in Parall. passim.

3) In Dio. Cassio legatur ex g. L. XLVI. vbi de Cicerone differit.

4) Argumenta huius rei possunt ex multis longe eruditissimi viri Io. Laur. Moehemii libris, inprimisque diss. de ecclesia per recentiores platonicos turbata, sumi.

VI

huius mali imminere tempestas, cum et regiminis et cultus diuini incredibili diuersitate animi detorquentur saepe a vero, atque in contrarias sententias distrahuntur. 5)

§. III. Idem de libidine, aliquid sententioe vbiuis immiscendi, existimandum. Veteres quidem nonnulli, vt Thucydides, Xenophon, Polybius, Lilius, Dionysius halicarnassus, alii, qui summis in republica functi honoribus, omnibusque philosophiae et historiae praesidiis aucti, se ad conscribendam contulerunt historiam, cum de rebus, quod tamen faciunt raro, ferunt sententiam, mihi, non, vt vulgus facit, videntur argutari et opinari, sed excelsa ingenii vi ornati, suis ponderibus res examinare gestas. At Appiani Alexandrini 6,) vbi aliorum scriinia non compilat, Diogenes Laertii, 7) Fla. Iosephi rerum gestarum diiudicatio saepe stomachum mouet. In primis hic Iosephus, vtilissimus ceteroquin auctor, vbi de rebus Iudaeorum, diuini Numinis interuentu vel domi actis vel foras gestis, ad profanorum hominum intelligentiam iudicat, populi DEI sacra cum Graecorum Romanorumque profanis rebus miscet, sanctissimum DEI eleuat cultum, nullo modo ferendus est. 8) In primis vox nulla pestilentior mitti ab eo potuisset, quam saepe vsurpata etiam de indubiis maxime, et plane diuinis rebus, dicendi forma: *περι τέτων, ως εκάτω δοκῆ, διαλαμβανέτω.* 9) Videor mihi, eiusmodi legens, non Iosephum videre, de praestantissimo in terris tunc temporis cultu diuino exponentem, sed Herodotum aliquem, de Arimaspis, Gryphibus vel aliis, ad credendum difficillimis, rebus narrantem, et sapienter aurem lectoribus velentem. 10) Nostra aetas abundat scriptoribus, quos fors atque ingenium vix de puluere extollit, et tamen audent coniectando, causasque rerum gestarum venando, se principibus in terris viris immisce-

- 5) Io. Guil. Hoffmanni diss. Viteb. 1739. publicata, vbi comprobatur: partem historiarum Europae postremam ceteris longe iucundiores, sed, si excutiat, incertissimam esse. Doler orbis litteratus, cum Viri huius Excellentissimi, mihi que Zittaviae quondam amicissimi, morte, spem concidisse magnam litterarum promouendarum.
- 6) De Appiano hoc idem iudicant Scalig. animad. Euseb. p. 193. et Vossius hist. graec. p. 223.
- 7) Idem de hoc censent Heumannus in Act. philos. P. II. p. 348. et Huetius de rebus ad ipsum p. 142.
- 8) Elegans est hanc in rem Praef. Hauerkampii, Iosepho praemissa, et quidem p. 10.
- 9) Etiam Iosephus hanc formam vsurpat de transitu populi Dei per sinum Arabicum Antiq. L. II. extr.
- 10) Herodotus L. III, 116. IV, 13. etc.

immiscere, quid? se eorum, acerbis suis animaduersionibus, et sententiis latis, iudices constituere.

§. IV. Ad ipsum nunc rerum mirabilem amorem nimium, breuiter, sed dedita opera, disputandum, venio. Hic continetur rebus et fingendis et augendis, praesertim admirationem stuporemque excitantibus, aptis tamen quodammodo cum ad propositum, tum in primis ad saeculi rationem. Hoc amore rapti ablatique veteres, multa, et fidem fere excedentia, heroibus suis affluxere, aliisque illustribus viris, qui, facinoribus egregie editis, sibi nominis conciliarant immortalitatem. Hoc non tantum Indica, Scythica, et Aethiopica apud Herodotum Cresiamque sunt contaminata, non Nini, non Semiramidis, non Thesei, non Romuli modo res maculatae, sed Cyri etiam non leuiter aspersae, Alexandri M. Scipionum, Iulii Caesaris, Caroli M. Chlodouei (11), aliorumque bene multorum res gestae etiam memoriae nostrae, quos silentio inuoluere melius est. Sequiore aeuo, cum Monachorum, acumine haud diuuum, et terrae filiorum, turba omnes eruditionis partes obsidebat, infanus hic amor ipsam ecclesiam intrauit, et innumeras res miras tristibus quibusdam hominibus, atque astutis, subdidit, hosque coelitem numero adscripsit. Recentiora taceo tempora, quibus non tantum multae gentes in ipso doctrinarum lumine, et virorum subacti ingenii copia, augustiores facere illustrioresque origines suas audent, sed rerum etiam, a dominis suis gestarum, cum condere debent commentarios simplices, nudos, et omni, tamquam veste, ornatu detractos, scribunt laudationes, quae porro extra suos limites longius euagantur.

§. V. Tanti mali, etiam trutina modo populari examinati, tamen multae inueniuntur causae. Prima videtur et fere palmaria esse, vt tegere et velare possint ignorantiam suam. Historia omnis vel rebus constat in facto positis, vel causis, ab quibus illae sunt profectae. Vtrumque saepius ignoratur, quam cognoscitur. Interdum fuit e republica, arcana non publicare consilia. Interdum attributionum, quas Quintilianus circumstantias dixit, vna, eaque princeps, neglecta ab antiquis. Saepe maximarum rerum causae tam leues sunt et ridiculae, vt consulto ab eorum temporum scriptoribus occultatae videantur, de qua re elegans extat Petr. Baylii (12) et G. Guil.

(11) Freretus dans Memoires de litterature T. VIII. p. 247.

(12) Bayle Reflex. sur le comete §. 236. et T. II. 467.

Guil. Leibnitii 13) obseruatio. Sed hanc ignorantiam prae se ferre lacunasque in recensendis rebus gestis audacter confiteri, admodum paucorum est hominum, ac modo excelsio praeditorum ingenio, quale Illustris Mafcouii, quo duce et praeceptore quondam in historia usus sum, fuit in adornandis rerum germanicarum commentariis. 14) Plures, veriti, ne liberali confessione periclitentur ingenii, praesertim facultatis, in fingendo versantis, vires, malunt excogitatis, ad seculique gustum compositis, rebus, tamquam nube obiecta, lectores fallere, quam hos nudam docere veritatem. Eleganter Plutarchus 15) historicos hac in re similes dicit conditoribus geographicarum tabularum, qui remotas describentes regiones, vbi locorum gentiumque nomina incognita sint et deficiant, ne quam tabulae suae partem relinquunt vacuum, monstrosas eam repleant bestias. Graeci in primis, ne nihil videantur de Scythiis, Aethiopiis et Indis scire, mira excogitant et incredibilia prorsus.

§. VI. In causis rerum inuestigandis maior est mirabilium prouentus. Laudi quidem ducitur de rebus gestis exponenti, causarum solers, innumeris salebris impedita, indagatio atque inuentio. Maxima enim quaeque, vt Tacitus auctor est 16), ambigua sunt, dum alii quoquo modo audita pro compertis habent, alii vero in contrarium vertunt, et gliscit vtrumque posteritate. Laudandum igitur vehementer Sum. Ven. Ioannis Laurentii Moshemii studium, positum in euentibus cum causis suis in historia sacra coniungendis 17). In ciuili historia Iac. Augustus Thuanus, Galliae 18) et Samuel Pufendorf, Germaniae nostrae lumen, eundem scopum felicissime sunt consecuti. At vero, si, quando hae causae ad arbitratum se dare nolunt, quando sunt in obscuro positae, nihilo tamen secius finguntur, si ad speciem exornantur, tunc mihi historia tolli ex historia videtur. Atque id ipsum, prudentiores dolent, factum primum ab Graecis, Thucydidis propositum quidem gloriamque partam, sed non ingenii vim et incredibiles labores exantlatos, spectantibus; deinde ab Latinis, properante ad interitum imperio romano; porro ab Mo-

13) Leibnitius in Praef. cod. iur. gentium diplomatico.

14) Ill. hic Vir egregia quoque monet hanc in sententiam in Praef. excellentissima commentar. rerum germanicarum, quae inscribuntur, Geschichte der Deutschen etc.

15) Plutarchus in Theseo.

16) Tacitus Ann. III, 19.

17) Io. Laur. Moshemii Institut. historiae eccles. in Praef.

18) Bierslingius de Pyrrhoni. historico p. 79.

ab Monachis, cum penes eos esset annalium confectio; postremo ab nostrae aetatis hominibus, mercedula aliqua inductis, qui scriptis suis magis aut sibi aut mercaturam facientibus, quam orbi litterato, commodare solent. Verum haec, in promptu collocata, nostram haud desiderant demonstrationem.

§. VII. *Alter* mali causa est *lectori nimia placendi cupiditas*. Omnes pulchritudinis et admirabilitatis amore quodammodo ducimur. Vel Theocriti Virgiliique hoc pastores, vitae agrestis consuetudine docti, sentire, qui inter pasendum, ut longum falleret tempus, miras interdum, plaudentibus ceteris, narrarunt fabellas. Sed non in hominibus tantum id animaduertitur, ruris plenis. Totae gentes, et quondam, et nunc, feruntur isto amore ita captae, ut nullos, nisi eiusmodi rerum plenos, commentarios probent. Quid? quod historicum etiam harum gentium, ut Poeta Terentianus, cum primum animum ad scribendum appellit, id sibi credit negotii solum dari, populo ut placerent, quas fecisset fabulas. Hinc cum Titus Livius videret superstitionem, fufam per uniuersum orbem romanum, cum plebis tum multorum patriciorum imbecillitatem occupasse, plenos fecit, ut populo probaret, prodigiorum libros. Reperiuntur autem, quod sciam, duae potissimum gentes, quae mirabilium amore omnes reliquos superarunt, idque ipsum vitium de se liberaliter sunt confessae, Graeci et Galli. De Graecis testatur Demosthenes Atheniensis haud vno in loco, de Gallis Rapius. Idcirco inter Graecos Herodotus et Plutarchus, leuitati popularium suorum aliquid dantes, nulla ut historiarum suarum pars a fabulis miris vacua esset, elaborarunt. Hac in re etiam inter Gallos commentariorum, quos Memoires appellant, architecti videntur operae pretium fecisse 19).

§. VIII. *Tertia* causa est, ut *magnam auctoritatem ingenique gloriam consequantur*. Hoc consilio videtur Corn. Tacitus, grauissimus annalium auctor, quodammodo huic mirabilium rerum amoris locum fecisse in commentariis suis. Haec enim cupiditas est, omni aetate monumenta inuasit, tamen pro temporum hominumque ratione, modo in hanc, modo in aliam, se induit formam. Herodoti, etiam Plutarchi, aetate fabulis miris et elegantibus delecta-

B

bantur

19) De his extat eruditissima Diss. B. Io. Burchardi Menckeni, cuius viri in me collocatorum beneficiorum memoriam nunquam sum depositorus.

X
bantur Graeci. Romani ante et sub Liuii aetatem superstitionibus dediti erant. Corn. Tacitus incidebat in eiusmodi tempora, quibus sentiendi libertas florebat, et licebat suspicionibus indulgere, actaque et gesta ad viuum refecare, vt ipse testatur 20). Proinde factum, vt multa saepe in aliam, modo argute, torquerentur rationem. Acute enim et libere dictis personabant hominum conuentus. His operam dabant historici. Erant excelsi, et admirationem facile excitantis, ingenii. Non mirum, si Tacitus, acerrimi vir ingenii, cum animum ad ea applicasset, facile reliquorum studia et labores vel retinuit vel palma priuauit. Vbique, et saepe felici euentu, inuenit arcana eiusmodi consilia, quae originem ab sceleratissima repetunt astutia, a Nicolao Machiauello deinceps omnibus lenocinijs adhibitis exornata. Proinde, si quisquam captum eiusmodi, periculi plenum, consilium feliciter explicauit, Tacitus is fuit. Qui enim in Gallia premere magni huius viri vestigia voluerunt, Gabr. Bartholomaeus Gramondus, et Beni. Priolus, turpiter plurimum se dederunt. Felicior Hugo Grotius, ita tamen, vt, iudice Hieron. Bignonio, ipsum Tacitum obscuritate superarit.

§. IX. *Postremo, vt minoris momenti fileam causas, inducti sunt ad rerum mirarum amorem, vt res ipsas facerent augustiores illustrioresque.* Apud plurimarum gentium historicos, quos consulere licuit, origines popularium suorum iusto excelsiores, innumerisque rebus mirabilibus venerabiles, redduntur. Ipse Titus Liuius locupletissimus esse huius rei testis potest 21). Parum abest, quin, etiamsi refragante hoc Liuius, cum Samuele credam Bocharto 22), acutissimo auctore, omnem illam troianam originem, Romanis assertam vulgo, Aeneaeque aduentum in Italiam, fabulis esse annumerandam eiusmodi, quibus origines suas, admodum humiles, facere augustiores Romani conati sint. Argumenta, quibus id vincere studet Bochartus, malim apud eum integra legere, quam hic mutilata. Naeuius profecto videretur fabulam excogitasse ducentis ante Virgilium annis: superioribus enim temporibus eius nullam inuenio mentionem. Scio, omnes sequentes scriptores idem dixisse; memoria teneo, rem populo romano

20) Tacitus histor. I, 1. 6.

21) Liuius in Praef.

22) Bochartus in diss. quae inscribitur: num Aeneas vaquam fuerit in Italia, adi. Phaleg et Canaan p. 1063.

romano vehementer arriffisse, atque ab fenatu romano, ipfisque imperatoribus comprobata. Numquid vero praeterea? Confensus falſa aientium non rem comprobare, ſed errantium multitudinem, ſolet. Eiuſmodi ſimile aliquid fuit quondam in gallica hiſtoria. Diu multumque fuit in ampliffima hac regione exiſtimatum, ſcriptisque omnibus declaratum, duos Herculis filios, Pariſum et Francum in Galliam veniſſe 23), nomenque cum vrbi Pariſiorum, tum omni Francia impoſuiſſe. Res a maioribus ad poſteros tranſmiſſa, conſtantique animorum opinione aſſerta, demum, poſt multorum ſaeculorum decurſum, cum eius lubricum pateret fundamentum, neque aſſertio e republica eſſet, repudiata eſt. Romani contra fabulam, Senatus conſulto, Imperatorumque mandato, confirmatam, retinere cogebantur.

§. X. Sed ponere hic calamum, vno adhuc monito, animus eſt. Nimirum ſi quis auctor, vel antiquus vel recentior, vt ſaeculi moribus commodaret, rebus miris fabulisque operam dediſſe reperitur, non omnes ilico ſunt eius commentarii contemnendi. Eſt hoc vitium omnibus fere ſcriptoribus commune. Reiiiciamus mirabilia, retineamus vero, rebus omnibus ad logicorum et hiſtoricorum praeceptiones rite examinatis, formam et compagem publicarum rerum, in regnorum et imperiorum viciffitudinibus poſitam. Eſto, hoc incredibilis eſſe laboris. Quid

ſine magno

Vita labore dedit mortalibus?

Ipfos habemus ſimili in cauſa veteres praeceuntes. Thucydides quoque inuenit ſcriptores, fabularum plenos, multum peregrini, multum inſoliti, trahentes, per ſaxa et Syrtis ruentes. Legimus ipſum hanc rem vehementer querentem 24). Interim hos non contemſit, ſed, facta rerum cauſarumque examine, iudicio ſuo ex iis, quantum exiſtimauit in rem ſuam fore, depromſit. Similiter Ciceronis aetate incredibilibus fabulis ſcatebat hiſtoria romana. Etiam conditae Romae annus ambigebatur, Ennius, qui centum

B 2

modo

23) Bochartus c. 1.

24) Thucydides L. I. conferatur Potilly dans Memoires de litterat. Tom. VIII, p. 161.

XII

modo annis Cicerone anterior est, mortuusque V. C. 585. tam fuit eius ignarus, vt scriberet teste Varrone 25)

Septingenti sunt paullo plus aut minus anni,
Augusto augurio postquam incluta condita Roma est.

Deinceps etiam ipsa Varronis aetate, qui Ciceronis aequalis est, vehementer de condita Roma sententiae discrepabant. Quid vero Varro? Ipsa incertitudo acuebat eius nobile ingenium, vt ad pugnantem sententias omnem operam conferret. Legatur modo Cenforinus, de illo exponens 26). Simile igitur nos tentare conficereque decet, qui longe pluribus praestantioribusque scientiarum praefidiis iam ad historiam tractandam accedimus. In primis, cum nostra aetate indubium sit, veteres historicos recentioribus infinitis partibus praefereandos esse, rerum delectu, iudicii grauitate, et elegantia sermonis, hos, qui aut subactus ingenio historicus esse cupit, aut modo rerum gestarum sapiens existimator, primum manus verset, deinceps se ad recentiores conferat examinandos. Sed finienda hic est, quae multis forsitan inconsulto ad praecipienda rationem delapsa videtur, oratio.

25) Varro de re rustica III, 1.

26) Cenforinus de die natali C. 21.



01 A 6627

ULB Halle 3
003 090 558



56

VD 18







FFICIVM SOLEMNE
 EI NATALIS
 IMO AC SERENISSIMO
 NCIPI AC DOMINO
 DOMINO
 NI ADOLPHO
 CI SAXONIAE
 CLIVIAE MONTIVM
 GARIAE WESTPHALIAE
 IE LANDGRAVIO MISNIAE
 VSQVE LVSATIAE MARCHIONI
 ENNEBERGICI COMITI PRINCIPI
 AVENSBERGIAE ET BARBIAE
 RAVENSTEINI DYNASTAE
 ETC. ETC. ETC.
 C I P I D O M I N O
 ET
 I ILLVSTRIS NVTRITORI
 NGE CLEMENTISSIMO
 ISSIMO ANIMO GRATVLANDI
 MNASIO ILLVSTRI
 R. MENSIS AER. VVLG. CIO IOCC XXXXIIII
 CONCELEBRANDVM
 INDICIT
 ET DE
 SENTIORVMQVE HISTORICORVM
 ERVM MIRABILIVM AMORE
 EXPONIT
 GEORGIVS WALTHER

23

Handwritten signature or initials